

tato. *Reſolut. 86.* Qui in Additionibus *Reſolut. 22.* æque probabile iudicat oppoſitum, & tandem id quod vidimus *num. preced.* determinat. Ludovicus à Cruce *ſupra. Dub. 2. num. 11.* P. Mendus *Diſput. 29. Cap. 4.* & alij. Quorum ratio eſt: quia in ſuſpenſione à Commiſſario facta iuxta Pontificiam conſeſſionem exprimentur Eccleſiæ, Monafteria, & pia loca: privilegium autem altaris, Eccleſiæ, Monafterij, aut pij eſt loci, cum fit pars eius, & parva Eccleſia. Quibus addi poteſt dubium non eſſe Indulgentias pro Defunctis ſuſpendi convenienter poſſe, ſicut convenienter ad certum tempus conceduntur, quo elapſo ceſſant; unde & concedi ſub quibuſdam conditionibus ſolent, præſertim quæ ad altaria privilegiata ſpectant: ergo quemadmodum ſi inter conditiones dictas Bullæ acceptio poneretur, nihil in tali conſeſſione abſurdum apparet, ſimiliter in ſuſpenſione dicendum, quæ ad magnum ordinatur Eccleſiæ bonum, & reuoludari facili negotio poteſt. Pro Religioſis autem ratio eſt non ſemel inculcata ex Bullæ verbis deſumpta; quod ſcilicet Indulgentia hæc non fit conſeſſa Superioribus quoad eorum Fratres, ubi de viuus eſt ſermo, qui ad ſolos Ordines Mendicantes ſpectant: mortui enim iam Ordinum Mendicantium non ſunt, nec eorum res agunt Superiores.

*Medium viam qui amplectantur.*

293 Sunt tamen quidam, qui mediâ gradiantur viâ, dicentes Religioſum celebrantem pro anima Religioſi non indigere Bullâ, ſecus autem ſi pro animâ ſæcularis. Et ut conſequenter hæc ſententia procedat, non de animâ cuiuſlibet Religioſi debet procedere, ſed eius, qui viuus poſſet ſine Bullâ Indulgentias obtinere in eadem Religione, Fratrum nomine comprehenſus. Ita Trullench *ſupra. Cap. 3. num. 10.* ſine diſtinctione tamen vlla inter Religioſos & minime ſibi conſonus, ut patet ex dictis. *num. 291.* & ratio eſt poteſt iam indicata, quia nomine Fratrum venire poſſunt & viuus & Defuncti, & ita verè dicere poſſumus multos Fratres Ordinis SS. Dominici & Franciſci eſſe in cælo. S. Agatha ſororem ſuam vocavit S. Luciam, S. Baſiliſcus Fratrem D. Ioannem Chryſoſtomum; & quod plus eſt, Chriſtus poſt reſurrectionem Fratres vocavit Apoſtolos *Ioan. 20. v. 17.* Vado ad Fratres meos &c. Cum ergo ſæcularis defunctus frater nō ſit, quia nec viuus id habuit, non videtur pro eo locum habere Indulgentia, niſi & ipſe Bullam habuerit, & tempus publicationis duret: non quod virtute illius liberari à pœnis queat, quia fuit Bulla viuorum, ſed quia viuus abſtulit impedimentum ſumptione Bullæ, quod obſtare poſſet, ne pro ſe defuncto Religioſus poſſet Indulgentiam applicare. Certius autem hoc obtinebitur, ſi Religioſus Bullam ſumat, tunc enim nihil obſtat ſæcularis liberationi.

*P. Mendus dum non bene Trullench ſententiam impugnavit.*

294 Et ſententiam quidem Trullench impugnat P. Mendus *ſupra. num. 71.* illudque contra illam inconueniens obiicit, dici etiam poſſe Regularem non valere Indulgentiam vllam ex conſeſſis ſuo Ordini lucrari, applicando illam pro animâ Defuncti ſæcularis, niſi Bullam acceperit; quod inauditum eſt, nec videtur probabile. Sed meminiffe eum oportuit ſententiam, quæ aſſerit Religioſorum Indulgentias ſuſpendi per

Bullæ publicationem, de qua diximus. *num. 282.* eſſe probabilem, nec leue ipſius fundamentum in ſuſpenſionis forma contineri: unde & non eſſe inauditum conſtat. Si autem loquatur ſuppoſita communi ſententiâ, iuxta quam Bulla non eſt ad lucrandas Indulgentias neceſſaria in Religioſis Mendicantibus, in huiusmodi quaſtionibus conditionalibus magna latitudo eſt, & dum fundamentum non leue apparet, non eſt præcipiti cenſurâ hic aut aliter ſententiâ ferendus. Fundamentum autem pro ſententiâ dicta eſſe poteſt, quod iam vidimus, Indulgentias ſcilicet pro Fratribus tantum concedi. Video reſponderi poſſe concedi quidem pro Fratribus, ſed non ut neceſſario debeant illas pro Fratribus applicare. Quæ reſponſio eſt optima: ſed reſponſiones etiam congruas habent argumenta probabilium opinionum; aliâs opinionones non eſſent, ſed demonſtrationes. Cum ergo res iſta adeo incerta ſit, acceptio Bullæ ſecuritas conquirenda.

DIFFICULTAS III.

*Circa Indulgentias in Bullâ conſeſſas viſitantibus quinq; Eccleſiis, aut altaria, & ibidem orantibus, iuxta formam in Bullâ præſcriptam.*

295 Dico primò. Eſt Indulgentia, quam Bulla concedit, magnæ æſtimationis ſit, cum ſit plenaria, iuxta communem ſententiam; immò & multas plenarias continens, de quo *inferius*, & pro quo Trullench *Lib. 1. ſ. 6. Dub. 1. num. 5.* Religioſi tamen facilius poſſunt eandem conſeſſi, quia ſic omnibus eſt à Paulo V. in Indulgentiarum reductione conſeſſum: ita enim habet ſeptima in ordine: *Iidem Religioſi intra clauſura viuents, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, & ut præſertur, orauerint, conſequentur eandem Indulgentiam, quas viſitando Eccleſias Vrbiſ, & extra eam, diebus Stationum conſequentur in omnibus diebus: perinde ac ſi ipſas Vrbiſ Eccleſias viſitaſſent.* Sic Pontifex. Quod autem ait, *Ut præſertur orauerint*, iuxta tenorem tertiæ Indulgentiæ accipiendum, in qua orandum decernitur *pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Mariæ Eccleſiæ exaltatione.* Cum ergo pro Indulgentia iſta non quinque Eccleſiarum, aut altarium, ſed ſolius Eccleſiæ Religioſorum viſitatio requiratur, illius profectò eſt conſeſſio facilior. Et præterea eſt illa, attentâ cauſæ grauitate, certiffima. Fundatur enim in mundi abrenuntiatione, ac Religioſæ vitæ profeſſione, in qua eſt heroicorum operum concatenatio mirabilis, nihil ut præter Martyrium maius illis eſſe poſſit.

*Religioſi Indulgentiâ gaudent ſimiliter in Bullâ conſeſſatur viſitantibus Eccleſiis, aut altaria.*

296 Eſt autem circa illam eadem, qua circa Indulgentiam Cruciatæ, difficultas, an ſcilicet quotidie obtineri poſſit. Et quotidianam eſſe nonnulli exiſtimant, quod facile deuoti atripiunt, fauente atteſtatione Commiſſarij, poſt Summarium Indulgentiarum, quæ certis diebus obtineri poſſunt; ſic enim ſubdit: *Todos los demas dias del año ſe ganau las Indulgentias, que en Roma, por auer cada dia Eſtacion en ella.* Sed oppoſitum mihi certum

*Quotidianam eſſe que, & rationes præbent.*

*Contrariâ ſimiliter pro in Cruciatâ Indulgentiâ.*

*Non eſt in Religioſis conſeſſa.*

*Non eſt plenariam Cruciatâ quotidianâ ſententia.*

*Contrariâ plures amplexi, pro quo & ratio aperta.*

*Et Commiſſarij auctoritas.*

*Probabiliter procedere dici non que.*

certum eſt, & id conuincunt rationes, quas adducit Trullench *ſupra. num. 7.* & tenet etiam P. Mendus *Diſput. 20. cap. 3.* qui ad Commiſſarij atteſtationem reſpondet, loqui illum de Indulgentiis non plenariis. Iuxta omnes ergo quotidie Indulgentiæ obtineri queunt, ſed non plenariæ: unde viſitatio Eccleſiæ aut altarium proderit quotidie frequentata. Sed certè clauſula dicta Commiſſarij iam non apponitur, & ita ex eo argui poteſt pro contraria poſitione: ſublata enim eſt, quia pro illâ ſolidum non extabat fundamentum. Habet autem conſeſſio Religioſis facta maius probabilitatis pondus quoad hanc partem, quàm habeat conſeſſio Cruciatæ. Nam in iſta deſignantur dies certi ſtationum, non ita in illa: unde ſi quotidie ſtationes ſunt, aut pluribus certè diebus, quàm ij ſunt, qui deſignantur in Bullâ; certius eſt Religioſis in hoc amplius indulgeri.

297 Similiter dubitari circa vtramque poteſt an ſit plenaria: & non eſſe plenariam, quæ in Cruciatâ conceditur, tenent Sorbus, Ludouicus à Cruce, & P. Henriquez apud Trullench *ſupra. num. 5.* quia in Bullâ originali non exprimitur Indulgentia plenaria: & quando non exprimitur, non venit generali illa collectione, propter ſpeciale difficultatem, quæ eſt ſolet in plenariæ Indulgentiæ conſeſſione, ut ait P. Suarius *Tomo 4. in 3. p. Diſput. 52. ſect. 8. num. 12.* cum præſatis ſententiis, & eum citans Iulius Lauorius de *Indulgentiis pag. 204. n. 125.* ſicut & P. Granadus *Tomo 2. in 3. p. Controu. 12. Tractat. 6. Diſput. 2. num. 4.* & 7. P. Quintana in *Appendice, Tract. 6. Dub. vltim. n. 5.* adducens Nauarrum, Alonſum à Leone, & P. Ildefonſum Rodericum. Contrarium tamen tenent Fr. Emmanuel, Ludouicus Lopez, Villalobos, Garnica, Diana eos adducens *Parte 5. Tractat. 12. Reſolut. 2. Machadus, Leander, Baſilius Legionenſis,* citati cum aliis à P. Mendis *Diſput. 20. num. 1.* quos & ipſe ſequitur, ſicut & Trullench *ſupra.* Ratio videtur aperta: nam in diebus ſtationum verè ſunt Indulgentiæ plenariæ pro viſitantibus vrbiſ Eccleſiis: atqui Pontifex eandem concedit in adductis conſeſſionibus, & in Bullâ Cruciatæ terminos diſtributiuos addit, dicens: *Omnes & ſingulos:* ergo non videtur de eo poſſe dubitari. Licet autem in conſeſſione pro Religioſis non inueniantur præſati termini, ſunt tamen æquiuales, dum dicitur, *conſequentur eandem Indulgentiam.* Quod verificari nequit, ſi tantum partialem aliquam conſequentur. Pro Cruciatâ autem habetur inſuper Commiſſarij auctoritas, qui ita planè fatetur in ſummario Indulgentiarum, plenariam Indulgentiam pro omnibus diebus ſtationum proponens. Quod quidem non videtur vti temerè appoſitum reprehendi poſſe, niſi à temerè prolocuto.

298 Illud verò ſimiliter dici poteſt, Commiſſarij opinionem probabilem hæc in parte ſecutum; ſicut ſecuti, qui ſtationes pro omnibus anni diebus aſſignarunt. Verum ſicut hoc; quia incertum, ſublato eſt, ita & prius illud ſublato pariter fuiſſet. Credendum ergo eſt de mente conſtare Pontificum iſtis, ne abſurdum ſequatur in materiâ adeo graui minime tolerandum, ut ſcilicet pro certis incerta venditentur. Quibus non obſtantibus, cum tot Doctorum ex aduerſo

conſiſtat auctoritas, res non habetur penitus explorata, & pro ita ſententiis inſtari poteſt ex conſeſſione alia, quæ in Bullâ habetur, in qua ſic dicitur: *Item erogantes prædicti, qui diebus ieiunio non ſuppoſitis, ad implorandum diuinum auxilium prouisione & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel, ſi ieiunare legitime impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Conſeſſoris, vel Parochi aſſumpſerunt; & ſimul preces ad Deum pro vniõne & victoria prædictis ſuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annos, & rotidem quadragenas, de ieiunio eius, & quomodolibet debitis poenitentis, miſericorditer in Domino relaxantur: & inſuper omnium precum, elemoſynarum, peregrinationum, etiam Ieroſolymitana, & aliorum omnium operum, que in vniuerſali Militante Eccleſia, & ſingulis eius membris ſunt, participes redduntur.* Sic Pontifices: ex quibus apparet ieiunio cum precibus, quod ſanè opus maioris laboris & meriti eſt quàm viſitatio dicta, Indulgentiam plenariam non concedi. Quomodo ergo concedi viſitationi credibile poſſit haberi? Aut ergo non conceditur; vel ſi conceditur, minus apparet certa, quia opus minus proportionatum eſt; cum tamen proportionatum eſſe debeat iuxta communem Theologorum, Canonistarumque doctrinam, ut videri poteſt apud Dianam *Parte 5. Tractat. 12. Reſolut. 10.* ubi complures adducit, & apud P. Suarium *ſupra. Diſput. 54. ſect. 3.* qui *num. 6.* ex definitione Innocentij Tertij in *Cap. Cum eo,* de poenitentis & remiſſi, bene oſtendit ſuperfluas, & ita inuolidas eſſe Indulgentias indiſcretas, & irrationabiles, quæ largius conceduntur, quàm cauſa poſtulet, etiam ſi pia ſit. Cum ergo in caſu noſtro, ſi ad commune bonum inſpiciamus, eadem cauſa ſit, ſi autem ad opus præſtitum, maius ieiunium ſit, cum quo & concurrunt preces; ſuperflua erit Indulgentia viſitationi conſeſſa, ſi plenaria ſit, cum non ſit plenaria, quæ pro ieiunij labore conceditur.

299 In quo quidem ita ſentientes non ſunt uti minus pij vllatenus arguendi, quia vera pietas eſt fideles ita inſtruire, ut Indulgentiarum intuitu in operibus pietatis non torpeſcant, & in ipſis lucrands Indulgentiis, eas ut potuerint repetentes: ſic enim non magnâ, neque moleſtâ repetitione fiet; quod plenariis poteſt Indulgentiis obtineri. Quid enim intereſt me opinionones laxiores circa Indulgentias ſequi, ſi coram Deo illæ non ſunt veræ? In aliis quidem rebus vtilis eſt fauorabilis opinio poteſt, quia coram Deo obligatione aliqua liberat, ut reſtitutionis, ieiunij, &c. etiam ſi reipſa vera non ſit: quod ſecus accidit in præſenti: ſic enim mille Doctores dicant Indulgentiam poſſe hoc aut illo modo obtineri, vel eſſe plenariam, & ad hos aut illos extendi: ſi reipſa ita non eſt, beneficium tale minime, qui lucrari conatus fuerit, comparabit. Vide Dianam *ſupra. Reſol. 32.* apud quem *Parte 10. Tractat. 11. Reſolut. 34.* contrarium ſentient, quibuſdam profectò piis magis, quàm ſolidis coniecturis, & quibus poſitio propoſita neutiquam inſinuat, cum & opinio dicta ſatis dubia ſit. Cui & fauet P. Amicus *Tom. 8. Diſput. 20. num. 214.* Et quidem eum poſſit quis ſumpſi Bullâ Indulgentiam plenariam ſemel in vitâ, & ſemel pro morte conſeſſi; eâ obtentâ ſatis illi eſſe poſſunt Indulgentiæ ſtationum, etiâ ſi

*Sed pro contraria pariter inſtantia robuſta proponitur.*

*Qua non eſt à pietate aliena iudicanda.*

*Probabilitas opinio nihil pro Indulgentiis conſert.*



plenariæ non ſunt; cum negari nequeat quin ſint magna, & ita pro ſuccedentibus lapſibus ſufficientes. Quod & pariter de Indulgentiis Religionum dicendum: quibus quando habitum Religionis ſuſcipiunt, profeſſionem faciunt, & in Feſto principali ſui Ordinis, Indulgentiæ plenariæ conceduntur. Poſſunt ergo quæ pro ſtationum diebus ſunt, abundè eis ſufficere pro quotidianis erratis, & etiam ſi quid, (quod abſit) non ordinarij perpetrarint. Si præterea illius obſentio repetatur: pro quâ

*Poſſe toties quoties obſentiri, iuxta probabilem ſententiam.*

300 Dico ſecundò. Indulgentia altariorum, & idem eſt de Indulgentiâ ſimili Religionum, toties quoties poteſt diebus assignatis obtineri, iuxta multorum probabilem opinionem, quam tenent Nugnus, Fr. Emmanuel, Villalobos, quos adducit & ſequitur Diana Parte 1. Tractat. 11. Reſol. 104. vide etiam Dianam Parte 5. Tractat. 1. Reſol. 45. P. Eſcobar Tractat. 1. Examine 17. cap. 4. Verſ. Poſſunt. Angelus & Roſella apud P. Suarium inſp. Navarrus Tractat. de Indulgentiis Notabili 32. num. 46. & 47. Trullenſis 6. dub. 3. P. Mendus Diſput. 6. cap. 5. vbi præter alios adducit Navarrum in eodem loco, quo pro contrariâ ſententiâ cum citat Diana, & quidem Verſ. Per ea, num. 47. id non obſcure ſignificat, quidquid dixerit Notabili 15. Et præterea P. Henriquez, P. Layman, P. Suarium, Cardinalem Lugo. Sed mirum eſt Auſtores iſtos ita incurioſè perlectos, vt pro hac afferantur ſententiâ, cum aperte tueantur aduerſam. P. Henriquez Lib. 7. Cap. 10. num. 2. vbi citatur, tantum ait ad maiorem certitudinem & efficaciam poſſe conſequi eodem die: non ergo abſolutè, ſed vt per vnâ diligentiam, quod fortè in aliâ deſuit, ſuppleatur. Poſſunt ergo diligentia repeti: quod & admonet Iulius Laurius ſuprà num. 129. ſed non obtineri Indulgentiæ. Nam poterat eſſe opinio affirmans, ſi ſemel adhibita Indulgentiam lucranda gratiâ diligentia inſufficientes fuerunt, non poſſe ulterioriſ efficaciter adhiberi. Cardinalis Lugo citatâ Diſput. 27. n. 95. loquitur quando pro obtinendâ Indulgentiâ non eſt deſignatus dies: quando autem deſignatus eſt, vt in caſu noſtro, contrarium tenet, num. ſeqq. cum P. Suario Diſputat. 57. ſect. 1. num. 7. vbi eum citat P. Mendus, qui & idem confirmat num. 8. Cuius etiam doctrinam manifeſtè amplectitur P. Layman citato ſimiliter loco, ſcilicet Lib. 5. Tract. 7. Cap. 8. num. 8. Tenet etiam Bonacina Tomo 1. Diſput. 6. quæ eſt de Indulgentiis, Quæſt. 1. Puncto 5. num. 32. vbi præter citatos aliquos adducit D. Thomam, Cordubam, Cardinalem Toletum, P. Sâ, P. Reginaldum, P. Filliucium, Graſſium, & alios. Quod etiam docet P. Quintana in Appendice, Tractat. 6. Dub. 6. num. 5. & Iulius Laurius pag. 205. num. 128. complures adducens: qui de Indulgentiâ cum prædictâ temporis determinatione loquuntur, iuxta dicta ex Card. Lugo, & P. Suario.

*Auſtores pro ſua ſententiâ mæle à P. Mendo citatos oſtendunt.*

301 Iuxta quam opinandi diuerſitatem illud tutiſſimè dici poteſt, quod ex P. Henriquez nuper à nobis poſitum & expoſitum, diligentias poſſe quoties placuerit diebus assignatis adhiberi, quo fiet vt vel toties lucentur, ſi fortè opinio prior vera eſt, vel ſi diligentia aliquis defectus obreperit, per alteram ſupplebitur, & ſic Indulgentiæ fructus colligetur. Quod ſi opus præ-

*Quid circa præxim cõueniens videtur.*

fatum etiam exactè præſtitum forſitan Indulgentiæ proportionatum non eſt, repetitum poterit debitam proportionem habere. Quæ doctrina ei eſt conformis, quam habet P. Suarius ſuprà, Diſputat. 54. Sect. 3. num. 9. vbi ait quando Indulgentia non habet proportionem cum opere, eo non obſtante aliquem effectum habere, proportionatum quidem operi: id quod ex mente concedentis videtur aperte colligi: ſi enim concedere ita vult, vt plus quàm poſſit concedat, manifeſtum eſt circa minus eiudem intentionem dirigi, iuxta vulgatam regulam *ius in 6.* quod in eo, quod plus eſt, id, quod eſt minus, continetur. Et doctrinam illam ita eſſe certam, vt in ea omnes conueniant, docet idem Pater num. 2. Poteſt ergo operis iniuncti repetitio vtiliſſimè frequentari.

*Notanda doctrina.*

302 Dico tertio. Quid nomine Eccleſiæ intelligatur non eſt penitus exploratum, cum de viſitatione agitur; & Oratorium priuatum ſufficere tenet Trullenſis 6. Dub. 2. cum P. Henriquez ſuprà, num. 1. L. B. inde inferens nobilem viſitando quinquies Oratorium ſuum ab Epifcopo approbatum, poſſe Indulgentiam Cruciatæ lucrari: vbi nobilis ideò expreſſus, quia illis ſolent Oratoria concedi: cum tamen in omnibus eadem ratio ſit, qui eandem fuerint gratiam affecti. Quod & tenet Fr. Emmanuel 6. Additionum, num. 1. Diana Parte 5. Tractat. 12. Reſolut. 43. & Parte 9. Tractat. 2. Reſolut. 31. Hieronymus Garcia Tractat. 3. Difficult. 8. Dub. 1. Puncto 2. num. 21. Ludouicus à Cruce, Leander, Machadus, P. ardi apud ipſum poſtremo, P. Quintana in Appendice, Tractat. 6. Dub. 2. num. 2. & 3. P. Mendus Diſput. 20. cap. 5. P. Eſcobar Cap. 4. citato. Ver. Viſitatio. Qui, ſicut & alii ita ſentientes, approbationem Epifcopi neceſſariam eſſe affirmant. Ex eorum tamen rationibus colligi poteſt quid ſit de Oratorijs Regularium ſentendum, pro quibus Epifcopi approbatio non requiritur: quia enim diuino cultui dedicata ſunt, & priuilegio immunitatis gaudent, etiamſi extra Conuentus ſint, vt in Grangijs, iuxta ea, quæ habet Diana Parte 9. Tractat. 1. Reſolut. 33. videtur etiam ad lucrandas Indulgentias ſufficere, ſunt namque Eccleſiæ pro dictis effectibus: ergo & pro iſto; quia Eccleſiæ quæ dici talis poteſt ad aliquos effectus, etiam & ad omnes, pro quibus tantum Eccleſiæ ratio poſtulat. Quando ergo approbatio Epifcopi deſideratur, vt Oratorium ad prædictos effectus valere poſſit, ideò eſt, quia auctoritatem habet ad ſimilem deputationem, non præſe, quia Epifcopus eſt, vnde & Eccleſiæ Regularium ab Epifcopo non benedicta, ad effectus dictos apta eſt: ſed quia in Epifcopali auctoritate, etiam auctoritas dicta continetur. Cum ergo Oratoria Regularium ſimilem habeant conſignationem, ad eorundem effectus præualebunt. Et hoc quidem videtur ſatis verofimile; licet generaliter loquendo non careat difficultate.

*Nomine Eccleſiæ Oratorium etiam venire qui cenſent.*

*Pro Oratorijs Regularium non eſt approbatio Epifcopi neceſſaria.*

303 Et quidem ſi in domo Religioſâ ſolum Oratorium ſit, non videtur rationabiliter negari poſſe ad effectum Indulgentiæ ſufficere, quia illud pro Eccleſiâ reputatur, cum in ipſo & Miſſæ ſacrificium celebretur, & Eccleſiaſtica miniſteria exerceantur. Id quod etiam videtur in Bullâ ipſâ expreſſum, dum in ea ſic dicitur: *Quin-*

*Amplius circa Oratoria declaratio præſertim Religioſa.*

que Eccleſiæ, ſeu altaria, ſeu in illorum defectum, quinquies vnâ altare deuotè viſitauerint. Cum ergo defectus Eccleſiæ, & quinquies altarium ſit, bene poterunt Religionis Indulgentias Cruciatæ in Oratorio lucrari. In conſeſſione autem ſimilis Indulgentiæ pro ipſis, id non habetur, quia quinquies altarium viſitatio non exigitur, ſed ſolius Eccleſiæ, Eccleſiæ ſuas deuotè viſitauerint & cumque Oratorium tunc eorum Eccleſiæ ſit, aliam enim non habent, videtur certum ſufficere illud ad effectum lucrandi Indulgentias. Quod etiam de ſæcularibus videtur aliterendum, quia tunc ſine impropriate dicuntur Regularium Eccleſiæ viſitare. Et hoc quidem etiamſi in oppido ſint, in quo Eccleſiæ, aut Eccleſiæ adſint, propter dictam rationem. Si autem Regularium Eccleſiam habeat ab Oratorio ſeu Capellâ diuerſam, tunc alia videtur eſſe ratio, quia Oratorium abſolutè nomen Eccleſiæ non habet. Vnde ſi quis dicat: *Vado in Eccleſiam, aut Venio ex Eccleſiâ,* non intelligitur ad Oratorium vadere, aut ex eo venire. Ex communi autem loquendi modo deſumenda eſt legum, & quarumcumque aliarum diſpoſitionum intelligentia, vt dictum. n. 224. & eſt communis Scriptorum obſeruatione. Pro quo videnda quæ habet P. Thomas Sancius Lib. 6. de Matrimonio Diſput. 23. num. 3. vbi quod vſus loquendi proprietati eſt verborum præferendus. Hinc eſt vt quando Iubilæum publicatur pro viſitantibus Eccleſiis Regularium, non videantur illud lucrari Oratoria eorum viſitantes. Pro quo videnda quæ habet P. Sancius ſuprà Lib. 7. Diſput. 8. n. 13. Videtur autem pro Regularibus ipſis eadem eſſe ratio: & hoc etiamſi in Capellâ aliquâ ſit SS. Sacramenti Tabernaculum; quia ratione eius, eſt Sanctitas creſcat, non tamen in communi vſu appellatur Eccleſiæ, vnde, eſt oppoſitum probabile ſit, quia tamen incertum, ſecuritati eſt in re tanti momenti conſulendum. Pro illa autem eſt vterius præſidium ex Bullâ Leonis X. pro Equèſtri Ordine S. Iacobi, in qua ad lucrandas Indulgentias Stationum Romæ tantum exigitur vt duo aut tria altaria etiam in Oratorijs aut Capellis viſitentur. Licet enim Bulla talis reuocata videatur, vt dictum. num. 257. accepta tamen Bulla Cruciatæ, illius vſus licebit, non obſtante reuocatione Indulgentiarum Pauli V. quia Bullæ clauſula verificatur.

*Notanda diuerſitas inter Oratoria ſolum, & cum Eccleſiâ concurrent.*

*Vterius pro Oratorijs ſufficiens præſidium.*

*Aſſertio 4.*

*Ex Choro poſſe altaria viſitari. Circa quod dubium in pecuniariorum.*

ponderis habet, ac proinde exiſtimo poſſe Moniales quinquies altaria etiam à ſe non viſa viſitare, conuerſione aliquâ ad locum, in quo ſunt: quia quod non videtur, etiam viſitari dicitur ratione continentis: & ita SS. Euchariſtiæ Sacramentum viſitari, quantum in ſuo incluſum Tabernaculo. Conſpecto ergo Capellæ ingreſſu, in quo altare eſt, dici etiam poteſt altare viſitari, quia aliquomodo conſpicitur. Et quia certum eſt Moniales poſſe lucrari Cruciatæ Indulgentias, nec tamen declaratum à Pontifice eſt, ratione impoſſibilitatis adeundi Capellas, cum ipſis diſpenſari vt modo præfato viſitent; ſed quia reuera videtur cum proprietate præfate ſtare: ideò dicendum pro viris etiam Religioſis eundem viſitationis modum eſſe ſufficientem. Non enim eſt viſitatio ad inquirendum quid in altari ſit, vt cum ab Epifcopo viſitatur, ſed ad fundendas preces coram illo: pro quo parum refert, quod longè ſit aut propè, & quod videatur, aut non videatur, dummodo aliquis interueniat acceſſus, & non purè mentalis ſit, vt bene Cardinalis Lugo ſuprà num. 98. quod eſt attentius obſeruandum.

*Mentalem acceſſum non ſufficere.*

305 Et vt aliquid commune circa preces dicam, ij qui certum earum numerum assignant, vt ſemel, bis, aut ter Orationem Dominicam, & laudationem Angelicam, valde mihi videntur voluntariè loqui. Vnde enim illud colligant, cum in conſeſſione formâ tale nihil exigatur, ſed vt deuotè pro præſcriptis orent? Sufficit ergo quæcumque oratio etiam mentalis, vt ait Cardinalis Lugo ſuprà. num. 111. cum Nauarro Notabili 32. citato. num. 48. Pro quo & alios adducit Diana Parte 9. Tract. 1. Reſolut. 30. Addit tamen Cardinalis tutius eſſe aliquid admifcere de oratione vocali: ergo tutum non addi. Equidem ſi quis loquendi vſum amittat, vt multis accidit paralyticis, lucrari nihilominus Indulgentias poterit; ergo abſolutè non eſt vocalis oratio neceſſaria; quia nulla pro talibus exceptio facta, & ita ſecundum conſeſſionis formam obligatio tantum regulatur. Debet autem oratio non eſſe ita deperperata, vt viſitatio dici nequeat, ſed tranſitus ad eum modum, quo dicunt Doctores, quando Indulgentia poteſt toties quoties eodem die obtineri, non ſufficere ad id continuatum ingreſſum & egreſſum, quia omnes illi pro vnâ viſitatione reputantur. Pro quo videri P. Suarez poteſt Diſp. 57. citatâ. Sect. 1. n. 7. Cardinalis Lugo ſuprà. numer. 95. Bonacina Diſputat. 6. citatâ. Quæſtion. 1. Puncto 5. num. 42. Debet ergo viſitatio aliqui fieri pauſatione, vt & reipſa videtur ſatis perſuadere: quia ſcilicet de re ſummi momenti agitur, & ita non debet leuiuſculè peragi, & ſic rogari Deus, vt nullus Principum, aut inferioris notæ homo in re momenti quilibetcumque rogatur. De quibus hæc ſatis.

*Sed cum morâ compeſcenti.*

*Infirmi vt poſſint altaria viſitare.*

306 Quia verò quod ad Oratorium attinet, ſatis probabile eſt, poterunt infirmi Cruciatæ Indulgentias in ſuis lucrari lectis, ſi valetudinarium ſit pariter Oratorium Superiorum auctoritate conſtitutum, & etiam ſpeciales Indulgentias Regularibus concedas: viſitari enim altaria poſſunt aliqui ad ipſa conuerſione, & vbi altaris viſitatio neceſſaria non eſt, ſed Eccleſiæ, aliqui exteriori præſtandum, quod viſitationis rationem habere poſſit, & non ſola mentalis conuerſio: vt inclinatio